



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 75. Lotharingii relatio circa residentiae caput, & hæc verba:
Proponentibus Legatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

quod Cæsar firmam, atque integram Pontificis auctoritatem tueri vellet, ac paratissimus esset, non modo non immutare Catholicam Religionem, sed nunquam etiam se subtrahere ab obedientia Principis eam moderantis, ac præsertim Pii IV. de quo maximam, optimamque opinionem habebat, adeo ut vix de alio Pontifice major concipi posset; nam sperabat Cæsar, a Papa quodcumque bonum pro Ecclesia procuratum iri, dummodo a suis consiliariis non induceretur in fraudem, quemadmodum Cæsari certo videbatur antea contigisse; nam conjiciebant nonnulli, quod potissimam culpam Ferdinandus tribuerit consiliis duorum insignium Purpuratorum, Moroni, & Cicalæ, quorum agendi ratio Cæsari minus probabatur.

§. LXXV.

Lotharingii relatio circa residentie caput, & hæc verba: Proponentibus Legatis.

Percepto Seripandi responso Lotharingius Cardinalis transibat ad ea, quæ Cæsar ad illum dixerat de repugnantia, qua Legati sese opposuerant, quo minus Episcoporum jurisdictio, & residentia juris divini declararetur, aut hæc verba, *Proponentibus Legatis e Bul-*

K 4 la

Sæcul. XVI.

A C. 1563.

la tollerentur: verum mox ad primum articulum Seripandus reposuit, quod circa hoc caput omnibus satisfieret: circa alterum vero notum fit, quod decretum in quo hæc verba habentur, communi Patrum consensu fuerit confectum, proin rursus de illis agere haud deceret: præsertim cum hæc verba Synodi libertatem, ut spargitur, nequaquam læderent. His ita narratis Lotharingius suum cum Legatis colloquium dissolvit, ea vero, quæ cum Cæsare agitabat, negotia nunquam innotuere, quantumvis hoc arcanum detegendi solertia haud levis fuisset adhibita, ac Lotharingius sæpe per integras duas horas Imperatori collocutus fuisset: quinimo Galli etiam Præsules, & Theologi, qui eum comitabantur, rem pariter secretam tenebant. (*)

„Cum ipse ego, inquit Vicecomes in quadam sua epistola, cum Senonensi, & Ebrodunensi Archiepiscopo conferrem, ambo attoniti hærebant, palam professi, quod ipsi nihil eorum, quæ circa duodecim articulos fuere agitata, habuerint compertum: imo „Ebro-

(*) Addit Pallavinus: etenim ubi cum Superioribus agitur, unicuique curæ est, benefacta in lucem evocare verbis, malefacta occultiare silentio.

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

"Ebrodunensis mihi significabat, quod
 "Germaniæ Theologi cum Lotharingio
 "Cardinale nequidem collocti fuerint,
 "sed solus ille, qui Romanorum Regis
 "conjugi a confessionibus est, eundem
 "visum iverit, eidemque librum a se
 "circa residentia quæstionem compo-
 "situm tradiderit: Lotharingius autem
 "nonnisi unica vice, dum Jesuitarum
 "Collegium accesserat, cum Canisio con-
 "tulit: cum ergo hac de re magis ex-
 "actam cognitionem haurire percupe-
 "rem, rem eo deduxi, ut quidam Theo-
 "logus (*) amicus meus seorsim cum
 "Theologis, qui Cardinalem comita-
 "bantur, conferret: porro illi erant,
 "Abbas Claravallensis, SantonensisEpi-
 "scopi Theologus, Simon Vigor, &
 "Dupreus: nihil tamen detegere potui,
 "cum una omnes inter se convenissent,
 "ut se nihil omnino scire dicerent, at-
 "que ipsi circa hos articulos adeo non
 "quicquam contulerint, aut eos ad exa-
 "men vocaverint, ut illos nequidem
 "conspexerint. „

§. LXXVI.

Mantuae Dux Patru sui fatis Tri-
denti præsens.

K 5

Cum

(*) Hic erat quidem ex Ordine Fratrum
 Minorum natione Gallus.